

Christian Albrecht Döderlein

**Commentationis, Ad Illustrandas Epistolas Apostolicas, Et Ad Doctrinam
Ecclesiae Evangelicae Circa Justificationem ... Particula Altera. Qua Rector Et
Concilium Academiae Fridericianae Buetzoviensis Civibus Pentecostes Festum
Religiose Obeundum Indicunt**

Buetzovii: Typis Ioann. Gotth. Fritzi, [1769]

<https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1830915584>

Druck Freier  Zugang



Mkl h

3470



ZfB ME

05. Aug. 1999

● entsäuert

Am. Ob. h.
3470



COMMENTATIONIS, AD ILLUSTRANDAS EPI-
STOLAS APOSTOLICAS, ET AD DOCTRINAM
ECCLESIAE EVANGELICAE CIRCA JUSTIFICATIO-
NEM, RECTE DIJUDICANDAM PERTINENTIS,
DE VERO SENSU QUÆSTIONIS CONTRO-
VERSÆ ET DECRETI APOSTOLICI
ACTOR. XV.

PARTICULA ALTERA.

QUA

RECTOR ET CONCILIUM
ACADEMIÆ FRIDERICIANÆ
BUETZOVIENSIS

CIVIBUS

PENTECOSTES
FESTUM

RELIGIOSE OBEUNDUM

INDICUNT.



BUETZOVII

TYPIS JOHANN. GOTTH. FRITZII, SEREN. PRINC. AUL.
ET ACADEM. TYPOGR.

1764

COMMENTATIONIS AD ILLUSTRANDAS EPI-
STOLAS APOSTOLICAS, ET AD DOCTRINAM
ECCLÉSIE EVANGÉLICÆ CIRCA JUSTIFICATIONEM,
NEM, RECTE DISCERNENDAM PERTINENTIS,
DE VERO SENSU QUESTIONIS CONTRO-
VERSÆ ET DECRETI APOSTOLICI
ACTOR. XV.

PARTICULA ALTERA

QUI

RECTOR ET CONCIILIUM
ACADEMIÆ FRIDERICIANÆ
BUTZOVENSIS
CIVIBUS


PENTECOSTES
FESTUM

RELIGIOSE OBSERVANDUM

INDICENT.



BUTZOVIA
Johann Gottfr. Fricke, Sall. Princ. Aul.
et Acad. Typogr.



I. N. J.

§. I.



Superiori commentatione *) statum quæstionis controversæ, quam explicandam nobis sumsimus, in universum constituimus. Progrediamur nunc quidem ulterius. Explicata l. c. vera vi vocis $\sigma\omega\lambda\epsilon\sigma\theta\alpha\iota$, quod translationem in statum gratiæ denotat, ut quis plene & perfecte regni Messiani particeps, & genuinus ejus civis esse, certusque fieri possit, se nunc quidem Deo placere, omniaque bona per Messiam parta, in hac & futura vita, a placato Deo sibi expectanda, eorumque jus sibi concessum esse; sequitur jam specialior quæstionis pars, an nunc quidem, postquam Messias advenerit, regnum-

a 2

que

*) vid. Program. paschal. h. a.

que suum inter gentes firmare cœperit, necessaria conditio, qua quis in istum statum transferri possit, necessariumque plane ordinis salutis momentum sit, ut circumcissionis atque legis mosaicæ vis & obligatio retineatur? ita ut nemo pleno jure in regnum Mesiaë intrare, sive verus Christianus esse, & per Christum salvari possit, nisi per circumcissionem ad obedientiam legis mosaicæ sit initiatus. Conf. v. 1. 5. 10. 19. 20. Apparet igitur totam veramque hujus causæ explicationem speciatim eo redire, ut accurate & probe intelligamus, quinam hoc loco *legi mosaicæ* sensus & vis sit subjiciendus? Hoc enim recte constituto, clare perspicemus, quid illud sit, quod fervidi judaizantes tamquam necessariam salutis conditionem a gentibus postulaverint, & quam in re secundum præcepta & naturam christianæ religionis verum salutis ordinem situm esse putaverint? Quid vero ab apostolis refutatum & rejectum, & quonam alio sensu christianæ religionis indoles viaque salutis ab ipsis explicata & constituta sit?

II. Legis vox in scriptura s. multos passim variisque sustinet significatus: in quibus primaria & propria vis, a secundariis, sive translatis & metaphoricis notionibus, accurate & sollicitè distinguenda est. Quod ad vet. Test. stylum attinet, maxime proprius & vulgatisimus hujus vocis significatus videtur in eo versari, ut *Pentateuchum*, sive totum complexum revelationum divinarum reliquarumque rerum a Mose litteris



consignatarum, contineat. Hoc sensu vox *Tborab*, quam græci interpretes per *νομος* transtulerunt, fere ubique in libris vet. Test. venire solet: quod & cum etymologica ratione apprime consentit; secundam hanc enim hebraica ista vox quamlibet institutionem sive doctrinam, quæ solenniter tradita, firmata, & constituta est, significare videtur. Per metonymiam quandam igitur indicat doctrinas, præcepta, statuta, reliquasque res, a Mose in libris suis ad instituendum populum Israeliticum publice & solenniter traditas. Vid. ex. gr. I. Reg. II, 3. II. Reg. XXII, 8. Pf. XIX, 8. seqq. Pf. CXIX. integr. & sic in omnibus fere *Psalms*, ut & in *Prophetis*. Idem significatus etiam in libris N. T. passim obtinet. Hinc historicæ particulæ *Geneseos* τὸ νόμος, legis, nomine apud *Paulum* veniunt, *Galat.* IV, 21. Præcipue in istis locis id accidit, ubi *lex prophetis* opponitur, & his contradistinguitur; alibi enim *Moses*, i. e. scripta *Mosis*, & prophetæ in hoc oppositionis genere occurrunt. Conf. *Matth.* XI, 13. XXII, 40. *Luc.* XVI, 29. 31. XXIV, 27. *Rom.* III, 21. Qui quidem significatus inter judæos usque ad nostram ætatem constans permanfit; utpote quibus, quod omnes norunt, ista voce *Pentateuchus*, sive quinque *Mosis* libri, semper & solenniter venire solent. Est tamen in libris N. T. adhuc alius, isque generalior & latior τὸ νόμος usus obvius, ut simul *prophetas* reliquosque omnes v. T. sacros scriptores complectatur: ut qui ubique *Mosis* scripta præsupponunt, & ad religionis formam, a Mose constitutam, se referunt, eamque explicant & confirmant. Sic *Joa.* X, 34. ipse Christi-



stus sub voce *νομος* allegat locum ex *Pf.* LII. desumptum. Item *Paulus, Rom.* III, 19. hac voce complectitur multa loca, quæ antea ex prophetis, psalmis, & reliquis hagiographis attulerat. Hoc pacto, & his in locis, *νομος, lex*, denotat totum complexum revelationum & præceptorum divinorum, ante Messiaë tempora traditorum, sive omnes libros ad veterem gratiæ œconomiam pertinentes. Hoc ipso generalissimo significato *lex* isti notitiæ opponitur, quam gentes, scripta revelatione Moysis & prophetarum destitutæ, aut eam non curantes, habebant ac habere poterant ex solo rationis lumine. *Rom.* II, 12. seqq.

III. Ex istis generalioribus notionibus nascitur alia, eaque magis restricta, qua vox legis continet complexum istorum statutorum atque præceptorum, quæ Moses, cum sinaiticum fœdus cum gente Israelitica pangeret, eamque peculiarem Dei populum ex omnium reliquorum populorum numero exemptum atque separatuum constitueret, ad ordinandum cultum divinum, atque res tam ecclesiasticas quam civiles definiendas, ipsis tradidit. Est igitur *lex* hoc sensu nihil aliud, nisi typus & descriptio peculiaris illius formæ religionis & status civilis, qua Israelitæ sive Judæi ab omnibus reliquis gentibus sejungebantur, & peculiarem quandam societatem ecclesiasticam atque civilem constituebant. Paucis, *lex* hoc sensu est complexus omnium istorum officiorum & rituum, quibus judaismus proprie sic dictus, in oppositione ad omnes alias religionis formas, absolvebatur. Hæc significatio est

211

8 9

est

est maxime solemnitas in libris N. T. omniumque creberrime ibi occurrere videtur. Hinc dicitur, *legem a Mose datam esse*, *Joa. I, 17.* idque post tempora patriarcharum demum, ita ut per legem religionis quaedam forma, a cultu & religione patriarcharum quodammodo diversa, introducta sit. *Rom. V, 13. 20. Galat. III, 17.* Secundum hunc ipsum significatum sejunguntur ii, qui sunt *ὑπο νομον*, i. e. qui judaicæ religionis formæ collum subdunt, eamque observant, ab iis, qui dicuntur *ἀνομος*, h. e. qui istam a Mose constitutam rationem aut ignorant, aut negligunt. *I. Corinth. IX, 20. 21. Galat. I, 21.* Jam vero probe tenendum est, *legem* secundum hanc angustiore & magis restrictam notionem, multiplicis plane & diversi generis præcepta atque statuta complecti. Ac primo quidem lex hoc sensu tradit admodum multas & præclaras res, quas Moses, a patriarchali religionis forma desumptas, retinuit & nova auctoritate, ut ab Israelitis observarentur, firmavit. Totam enim patriarchalem religionem & colendi Dei rationem iste in novam, quam huic genti præscripsit, religionem intulit: ut cultum unius veri Dei, quem patriarchæ jam agnoverant & coluerant, universalia officia justitiæ & amoris erga alios, a patriarchis jam exculta atque exercita, circumcisionem tamquam sigillum fœderis inter Deum & Abrahamum, totum denique sacrificiorum apparatus, quatenus patriarchis jam tamquam necessaria cultus divini pars cognitus, & ubique locorum, atque quavis oblata occasione religiose observatus erat. Etenim & sacrificia a Mose ex patriarchar-



triarcharum religione repetita, & Israelitis, ut cultum
 quendam necessarium a Majoribus ipsorum acceptum,
 ipsisque ex hoc fundamento jam cognitum, præscripta
 esse, idoneis argumentis contra *Joa. Spencerum* probari
 posse arbitror. Deinde *lex* hoc significatu comprehen-
 dit etiam ista instituta, quæ Moles divino jussu patri-
 archali cultui addidit. In his inerant speciales multæ
 conditiones fœderis, quod cum tota gente ad montem
 Sinai instituebatur, quibus sancte observandis Israelitæ
 peculiaris Dei populus futuri, beneficiisque per hocce
 fœdus a Deo promissis, fruituri essent. Hujus generis
 nova & specialia instituta erant partim religiosa, sive
 ad religionem & cultum divinum proxime spectantia,
 quibus isti cultus & ritus, a patriarchis jam observati,
 multis augebantur accessionibus, multoque arctioribus
 limitibus definiebantur & circumscribebantur: ut de
 primogenitis, de agno paschali, de variis sacrificio-
 rum speciebus, cum in patriarchali religione solum
 holocaustum videatur usitatum fuisse, de loco certo &
 definito cultus divini, de cæremoniis adhibendis, de
 sacerdotio, de festis diebus, infinitaque alia hujus ge-
 neris. Partim in his novis institutis continebantur
 multa domestica, & ad vitam communem pertinen-
 tia, ut diversi generis lotiones & lustrationes quoti-
 dianæ, aut in certis casibus adhibendæ. Partim Moles
 statum & rem civilem ordinabat, easque tradebat le-
 ges, quibus Israelitarum gens formabatur in justam
 civitatem & rem publicam. In hoc toto legum mosaï-
 carum complexu, tum a priscis patriarchis desumptarum,
rum,

-1817)

rum, tum recens adjectarum, versatur etiam istud discrimen, quod aliæ sint juris naturalis ratione Dei & hominum, quæ propterea rationis lumine præeunte hominibus quodammodo innotescunt: aliæ vero in ipsa natura necessarium fundamentum haud habent, sed ex aliis sapientiæ rationibus a Deo, tanquam supremo rerum humanarum arbitro sunt additæ, proptereaque non nisi per specialem quandam revelationem tanquam leges a Deo jussæ & probatæ ab hominibus agnosci potuerunt. Hujus posterioris generis sunt fere instituta omnia, quæ ad externum cultum Dei, ejusque ritum & formam, item ad domesticam & civilem Israelitarum vitam, quatenus ab aliarum gentium institutis & vita sejuncta esse debebat, pertinebant. Erat igitur Mosaica lex complexus & contextus quidam præceptorum tum naturalium tum arbitrariorum, tam artificiosè vero conjunctorum inter se, & in unum systema redactorum, ut per eorum observationem Israelitæ in cultu divino & in reliqua vita ab omnibus reliquis hominibus & gentibus totius orbis terrarum sejungerentur, & peculiarem, a reliquis diversam, religionis & reipublicæ formam nanciscerentur. Atque hoc quidem est istud, quod proprie *Judaismus* vocatur. Non prætermittendum est hoc loco *πρωτον ψευδος* istud, quod a nonnullis admittitur, & deinceps eos ad totum salutis ordinem minus accurate passim explicandum seducit. Putant enim legis nomine, cum de via ad salutem perveniendi quæritur, præcipue tantummodo cærimonialia & arbitraria instituta venire, & propterea


b

cum

cum opera legis a salutis negotio removentur, istos tantum ritus externos eorumque observationem intelligi affirmant. Quod ut obtineant, ad ista loca provocare solent, ubi legis voce aperte officia & instituta caeremonialia videntur indicari, ex.gr. *Hebr.* VII, 28. IX, 22. X, 1. Sed hæc quidem æque infirma sunt, ac si quis ex iis locis, ubi lex aperte forensia & civilia statuta indicat, concludere velit, legem pro hujus generis statutis tantummodo accipiendam esse. *Conf. Actor.* XXIII, 3. *Rom.* VII, 2. Moses præscribebat Israelitis primo & in universum leges istas naturales, quæ officia erga Deum & homines complectebantur; id quod ex decalogo totoque contextu Pentateuchi apparet. Addebat deinde multas leges arbitrarias sive positivas, quibus continebantur officia de vitanda corporali immunditie, de cibis prohibitis, de civilibus rebus cæt. Denique adjungebat varia expiationum genera, ad tollendum reatum & ad placandum Deum, si quis ista præcepta violaverit, seque peccasse sibi conscius sit: quo pertinent sacrificia in universum, partim sacrificium jüge sive quotidianum, istaque solemnia piaculatoria sacrificia, magno isto expiationis die quotannis offerenda, partim speciales nonnullæ oblationes & expiationes, pro specialibus quibusdam peccatis, item varia lustrationum genera ad tollendam corporalem immunditiam, quam quis forte contraxerat. Omnia ista simul & in toto suo ambitu sumta conficiunt legem mosaicam, & judaicam religionem, sive Judaismum proprie sic dictum constituunt, quatenus is quidem per legem

ab

ab omnibus aliis religionis formis distinctus & sejunctus erat. Initiatio ad hunc Judaismum erat *Circumcisio*, ita ut, qui circumcidi se, more a Mose præscripto, pateretur, hoc ipso ad totam religionem mosaicam se transferebat, obligationemque subibat, omnia istarum legum genera, prouti unum ad alterum se referebat, & cum altero ex præscripto Mosis connexum erat, in universo suo complexu observandi & exercendi. Conf. *Galat. V, 3*. Ad alios quosdam ritus, quos Judæi ecclesiastico quodam instituto ad perficiendam hanc initiationem addiderant, hoc loco nondum attendo; quoniam nunc quidem de iis tantum officiis disputo, quæ expressis & disertis verbis a Mose instituta sunt, atque propterea ipsam legem mosaicam complectuntur. Qui omnia ista officiorum genera, quantum in homine positum erat, ad eam formam in eaque connexionem invicem, quam Moses præceperat, sancte & religiose observabat & exercebat; is perfectus & genuinus erat Judæus, vitæque ejus a reprehensione & vituperatione secundum judaismum vacua & immunis habebatur. Talis erat *Paulus* apostolus ante suam ad Christum conversionem. *Philip. III, 6*. Tales erant Joannis baptistæ parentes, *Luc. I, 6*. aliique. Audeo affirmare, hanc notionem voci *legis* semper & ubique in N. T. subjici, ubicunque de ratione & via disputatur, qua Deo placere & salutem consequi possumus: ac sicubi passim hoc vocabulo genus quoddam institutorum sigillatim indicatur; id quidem nonnisi metonymice capi debet, ut totum pro parte intelligatur positum esse. Hinc accidit,



ut non solum hæc vel illa præcepta & instituta arbitra-
ria & cæremonialia in lege contineri passim dicantur,
quando de universa religione & de via placendi Deo,
salutemque consequendi differitur, sed æque sæpe &
fortasse sæpius adhuc affirmatur, legem nobis ad istud
propositum obtinendum hujus generis officia præscri-
bere, quæ nos naturalia appellamus. Conf. Rom. II, 14.
15. III, 10 - 19. VII, 7. XIII, 8. seqq. Galat. V, 14. Matth.
VII, 12. XXII, 36. seq. XXIII, 23. Luc. X, 26. Est igitur
ubique in hujus generis locis hic sensus intelligendus:
*lex, i. e. universa religionis forma a Mose præscripta, qua Deo
placere beatique evadere debeamus, inter & præter alia mul-
ta præcepta, etiam hoc vel illud institutorum ac officiorum
genus complectitur.* Nec in interpretis arbitrio positum
est, ubi in salutis negotio vox *legis* occurrit, pro lubi-
tu unum aut alterum tantummodo officiorum genus,
exclusis & remotis reliquis, seligere, quod ipsius syste-
mati & hypothefibus commodum est; nisi in ipso sa-
cro contextu aperta & luculenta argumenta adsint, de
peculiari quodam institutorum genere data opera hoc
loco ita disputari, ut reliquorum, quæ alias itidem in
lege continentur, pro præsentis causæ & consilii natu-
ra, ratio prorsus nulla habeatur.

IV. His ita positis; porro observatu admodum
necessarium est, legem hoc ipso sensu, quo totam reli-
gionis a Mose institutæ formam, ex naturalibus & ar-
bitrariis præceptis arctissima quadam connexionem in-
ter se conjunctis, conflata, denotat, vario tamen rur-
sus

sus respectu diversaeque notione in scriptis evangelistarum atque apostolorum sumi & adhiberi. Ac primo quidem ea ratione consideratur, quatenus secundum externam verborum formam, atque ex proxima & literali vocum significatione, tantummodo certas quasdam actiones ab homine suscipiendas aut omittendas complectitur & praescribit, idque auctoritate Dei, tamquam supremi imperantis, adjectis tum promissionibus, quod ii, qui istis officiis satisfaciant, pro genuinis ecclesiae & reipublicae israeliticae membris coram Deo sint habendi, & propterea honorum toti genti sub obedientiae conditione constitutis, & in foedere sinaitico stipulatis, participes futuri sint: idque istud est, quod Moses affirmat, justitiae loco Israelitis fore, si his in lege praescriptis officiis obedientiam praestiterint, *Deuter. VI, 25. Conf. Cap. VII, 6.12. cap. XXVI, 12. ff. tum addita simul virtute coactiva, sive gravissimis comminationibus poenarum, transgressoribus destinatarum. Hoc respectu lex strictam istam & propriam notionem continet, qua per istam vocem statutum imperantis, cum vi cogendi cives & ad obedientiam obligandi conjunctum, indicatur: nec in dijudicando statu & factis civium secundum legem hoc sensu sumtam, sive in imputatione, aliud quid respicitur, nisi id, quod proximo sensu literali aut agendum aut vitandum praescribitur, quatenus homo sua vita & factis istud praescriptum sive observaverit, sive violaverit. Conf. *Luc. X, 26. sqq. Rom. II, 13. IX, 23. X, 5. Galat. III, 12. Eodem hoc respectu vocatur lex operum, sive doctrina de operibus, quoniam**



tantummodo in operibus, five certis quibusdam actionibus sub comminatione pœnæ præscribendis aut vendendis, versatur, atque opponitur *legi fidei*, five doctrinæ de fide. *Rom. III, 27. Conf. Ephes. II, 8. 9. opera igitur legis* sunt istæ actiones, quas homo ex præscripto legis, five quatenus & quia a lege præcipiuntur vel prohibentur, exercet, ita ut rationes alias sibi proponat nullas, nisi quæ in lege continentur, i. e. promissiones legales sub conditione obedientiæ, & pœnas a lege in transgressores sancitas. Hæc ipsa tamen legis vis & notio denuo duplicem involvit respectum. Etenim istæ sanctiones legis vel ita tantummodo considerantur & in censum veniunt, quatenus externas tantummodo quasdam actiones & opera, in exteriori vita exercenda, videntur præscribere: ita ut homo mosaicæ legi satisfecisse, obedientiamque præstitisse censeatur, dummodo externas ejusmodi actiones sancte & religiose obeat: verbi causa, ne quis saltem in externa vita ullum idolatriæ genus committat, sed quidquid hujus rei externam speciem quandam habere possit sollicitè & summo studio vitet, ut ore saltem nomine Dei haud abutatur, ut in exteriori vita justitiæ regulas accurate observet, ut externis factis præscripta cultus divini, sacrificiorum, festorum, lustrationum, ea, quam Moses præcepit, forma, accurate exerceat, cæt. Hoc sensu in cuiusvis hominis potestate & arbitrio positum est, Moses legem implere, eique satisfacere, dummodo velit: atque eodem hoc sensu lex Mosaica erat conditio peculiaris istius fœderis sinaitici, quatenus per istud gens israeliti-

elitica in externam quandam ecclesiasticam & civilem societatem formanda ac redigenda, ac peculiaris Dei populus quoad externas prærogativas præ cæteris omnibus gentibus constituenda erat. Præferibebantur nimirum ipsis per legem a Mose latam conditiones, quibus observandis quisque verum & genuinum hujus ecclesiasticæ & politicæ societatis membrum esse, sive ratione exterioris communionis, externorumque huic societati ejusque civibus promissorum beneficiorum, pro vero & genuino judæo haberi possit; neglectis & contemptis vero istis legibus, jurium & privilegiorum israeliticorum jacturam facere, pœnasque a Deo tamquam supremo hujus civitatis moderatore, per hanc legem immorigeris constitutas, certo pertimescere debeat. Legem vero, quatenus huic fini inservire debebat, ulterius, quam ad externos actus, si vel maxime interior animi status vero amori & timori Dei, reliquisque veris virtutibus haud respondeat, extendi haud potuisse, apparet. Alias enim fieri nullo modo potuisset, secundum præsentem generis humani moralem statum & conditionem, ut lex fundamentalis sanctionis loco ad constituendam aliquam externam rempublicam ordinandumque statum civilem, cui & societas & communio externa ecclesiastica arctissime innexa erat, integræ numerosæque genti omnibusque Israelis posteris esset, quorum maxima pars illo ipso tempore, quo a Mose in rempublicam & justam civitatem redigebantur, & deinceps etiam semper, homines erant, a vero internoque cultu divino & virtute vacui. Mosen
igitur




igitur oportebat res gentis ita instruere, ut quisque, quatenus saltem exteriori vita legis præceptis se conformabat, esset & maneret ecclesiæ & reipublicæ israeliticæ membrum, sive pro genuino judæo quoad externam societatem externaque privilegia haberetur, cui secundum legem coram hominibus crimini dari nihil posset. Quoniam itaque lex hoc sensu circa corporis tantum externas actiones versabatur, & lustrationes etiam, atque expiationes, si quis quid deliquisset, ad corpus proxime pertinebant, externamque tantum & corporalem civitatis israeliticæ communionem delinquenti conservabant, aut reddebant; ideo vocatur *lex carnalis præcepti*, *Hebr. VII, 16.* & *carnalem tantummodo puritatem* procurare affirmatur, *Cap. IX, 13.* Idem hicce legis crassus sensus passim vocatur *γραμμά*, *littera.* *Rom. II, 27. seqq.* Et in hoc crasso sensu *Pharisæi* tempore Christi unice substituisse videntur, ut putarent, sollicita quadam & religiosa præceptorum mosaïcorum, quibus ex superstitiosa quadam sanctitate adhuc plura superaddebant, observatione in exteriori vita externisque factis, abunde sese legi satisfacere, optimorumque judæorum officia explere posse: id quod ex gravissimis istis Servatoris elenchis patet, *Matth. V, 20. seqq. XXIII, 5. 14. 23. seqq.* & alibi. Credebant nimirum, legem exacte & perfecte a se impleri, non eo sensu, quasi nunquam plane contra universalialia & naturalia imprimis præcepta passim peccarent, aut nihil omnino vitiosi, quod emendatione indigeret, committerent: sed ejusmodi errores & infirmitates coram Deo in censum

sum

sum non venire, nec ipsis imputari, aut obesse sibi persuadebant, quo minus pro sancto Dei populo reputentur, certoque & citra omnem dubitationem Deo placeant, ejusque benevolo favore gaudeant. Idque tum propter reliquum ipsorum, legem assidue tractandi, addiscendi & observandi severum studium, tum propter sollicitum exercitium expiationum & lustrationum a lege præscriptarum, quibus, quidquid vitii in ipsis sit, quotidie aboleatur, tum vero propter præstantiam gentis suæ in universum & majorum merita. Sic eum sensum, eamque obedientiam legis, quæ ex Mosis vera sententia tantummodo ad externam gentis israeliticæ ecclesiasticam & civilem societatem sufficiebat, & homini judæo fundamentum justitiæ in foro gentis suæ externo ecclesiastico & civili erat, atque ad beneficia corporalia tantum, toti genti a Deo promissa, jus quoddam præbebat, isti stolidi & superstitiosi Mosis interpretes trahebant ad ipsius veræ & æternæ salutis viam, & ad verum æternumque Dei favorem percipiendum, bonaque spiritualia & æterna consequenda. Est tamen alius, isque naturæ rerum convenientior *legis* sensus in scriptura scilicet obvius, quatenus ista pro norma morum & operum sumitur, cui homo certis quibusdam actionibus suscipiendis aut omittendis satisfacere debeat, ut legis præscripta nimirum ad interiorum etiam animi statum & puritatem, quoad totam appetendi rationem & quoad intima mentis consilia in agendis vel omittendis rebus, extendantur. Scilicet


c

ut



ut homo totus amore & timore Dei & sincero proximi dilectione animetur, & ex his omnes appetendi aut fugiendi rationes sumat, omniaque consilia & actiones suas ad istum mentis interiorum sensum componat. Conf. *Rom.* II, 29. Hoc respectu & sensu lex vocatur *spiritualis*, & crassæ isti & carnali interpretationi, quam homines ob pravitatem ingenii plerumque adamare solent, opponitur. *Rom.* VII, 7 - 14. Quamquam igitur Moses, quod paullo ante ostensum est, legem, quatenus ea sanctio fundamentalis externæ civitatis pro tota gente esse debebat, alio sensu capere & præscribere non poterat, nisi crasso isto & litterali; ubique tamen simul verum & spiritualementem hunc legis sensum gravissimis inculcat verbis & explicat, ostendens, quatenus singuli Israelitæ quisque pro se Deo placere, veroque ejus favore frui, omniaque vera & perennia bona ab ipso expectare velit, satis non esse, ut externam tantummodo vitam ad legis præscripta qualitercunque conformet, sed requiri emendatum animum, qui totum se sincero amore & timore Dei intrinsecus animari & gubernari patiat, sive opus esse ista perfectione morali, quæ ad totum hominem omniaque & intima mentis consilia & agendi rationes sese extendat: nec ipsam illam qualemcunque externam obedientiam diu subsistere posse, quin multoties ob pravitatem mentis interrumpatur, totamque gentem singulosque ejus cives pœnis gravissimis a lege constitutis obnoxios reddat; nisi interius, quoad
ipsum

ipsum animum emendari se, & ad verum internumque Numinis cultum instrui patiantur. Quod quidem totum ex gravissimis istis concionibus in *Deuteronomio* obviis, quibus verum latæ legis sensum, prouti ex vera Dei intentione a quolibet intelligi debeat, qui sibi bene esse velit, interpretatur, intellectu facile est. Eodem pertinent sermones & judæorum castigationes a prophetis allatæ, quibus istos, quatenus exteriori tantum vita legis studium & obedientiam simulabant, increpant severissime, ostenso, si re ipsa Deo placere cupiant, nec perpetuo ob indolis pravitatem exteriori etiam obedientiam violare, gravissimasque propterea pœnas incurrere, ipsumque gentis excidium sibi attrahere velint, interiorem mentis puritatem & virtutem requiri: eodem plane sententia, iisdemque pene verbis, quibus *Paulus Rom. II, 28. 29.* hanc totam causam complectitur. Hoc consilio etiam ipse Servator gravissimis istis sermonibus apud Matthæum & alibi, supra allegatis, crassas stolidasque legis interpretationes, quas Pharisæi afferebant, iisque totam legis sensum & ambitum exhaurire se posse, sibi persuadebant, severe refutat, & verum spiritualesque legis sensum, i. e. eum, qui ad interiorem animi statum & rationem pertinet, explicat. Hoc igitur sensu *lex* est complexus omnium in universum præceptorum, quibus Moses homines instituit, quomodo totus ipsorum moralis status quoad interiorem & exteriori vitam & mores, & quoad omnia animi consilia & rationes



agendi & ipsas actiones affectus esse debeat, si quidem Deo placere velint, additis gravissimis comminationibus, si aliam vitam vivant: ita tamen, ut omnia præceptis tantummodo absolvantur, quibus ista animi & vitæ ratio, iique interni & externi actus ab ipso homine exiguntur, ipsique relinquuntur suis viribus, conatibus, studio, & exercitatione efficiendi, nulla alia via aut remedio ostenso, quomodo ad excelsam istam mentis indolem præclaramque eam vivendi rationem erigi & formari possit. Jam eodem hoc sensu *lex* opponitur doctrinæ de Messia ejusque beneficiis, cujus fide spiritus s. homini contingat, eaque animi indoles producat, in qua voluntas & vires insunt amandi & timendi Deum, eaque efficiendi, quæ Deo placent, & lex exigit quidem, sed unde efficiendi promptitudinem mentis & vires nanciscatur homo, non ostendit. *Joa.* I, 17. *Rom.* IV, 13-16. VII, 4-6. VIII, 2-4. X, 5. seqq. *Galat.* III, 2-5. IV, 3-7.

V. Reliqua ad proximam occasionem rejicimus. Cæterum agnoscite, CIVES, divina JESU CHRISTI beneficia, qui non solum omnem nobis voluntatem Dei patefecit & annunciavit, sed & procuravit & donat vires, quibus ista efficere queamus. Præclarum est, nosse, quid nostri sit officii: imprimis si non ad exteriorem tantum & civilem vitam, & ad ea, quæ debemus aliis hominibus, attendamus, quod multi facere solent; sed ad intimos mentis recessus, quomodo
erga

erga Deum, supremum nostrum Dominum summum-
que Bonum affecti esse debeamus, si quidem vitam ve-
re beatam vivere, sanctissimoque Numini placere ve-
limus. Atqui quid juvat, totam vitam philosophando
de officiis & moribus & virtutibus terere? quid profi-
cimus, si vel acerrimo studio vitam nostram exterio-
rem ad morum quandam elegantiam excolimus? cum
interea nunquam serio intra nosmet ipsos descenda-
mus, statumque animi referamus ad Deum, attenden-
do, quid per verum spiritualemque legis suæ sensum a
nobis postulet, multo minus nosmet ipsos excutiendo,
quam immani intervallo ab ista animi puritate & inte-
gritate remoti simus, quam Deus probat & poscit. Hoc
vero si fiat; tunc demum nosse voluntatem Dei officii-
que nostri partes, vere prodest. Tunc enim dejecti de
superba & inani ista persuasionem, qua nobismet ipsis
placemus, & esse & posse quidquam vano animi tumo-
re putamus, confugiemus ad Christum, ut is gratia &
Spiritu suo vere & ipsa re ista in nobis efficiat. Debel-
lato enim peccato & morte Christus, procurataque
per sanguinem proprium expiatione humani generis,
postquam, resurgens ex mortuis, ascendit in cœlum
& ad dextram majestatis divinæ confedit; misit super
suos divinum istud Spiritus sancti donum, quo divina
vita & vires ipsis infundebantur. *Joa. VII, 37-39. Luc.*
XXIV, 49. Act. I, 4.5.8. II, 33. Neque putandum est,
ad solos apostolos primosque christianos magnificas
istas & splendas de conferendo Spiritu sancto promissio-
nes

siones pertinuisse: quod nonnulli falso sibi persuadent, qui salutem sibi et ipsis, suisque viribus & moribus debere malunt, quam Christo & Spiritui ejus. Nusquam in scripturis vel veteris, vel novi Testamenti, Spiritus sancti donum a Messia expectandum, tam arctis circumscribitur limitibus: sed tanquam perpetuus necessariusque gratiæ & fidei effectus, ad omnes in universum christianos pertinens, eosque a reliquis separans hominibus, offertur & promittitur. Quamquam enim suam Spiritus s. præsentiam primis istis temporibus, manifestis & in sensus hominum incurrentibus, signis & portentis manifestaret: quod quidem necessarium erat ad plantandam ecclesiam, & ad convincendos homines de veritate & divina origine evangelii, *Actor. V, 32. 1 Corinth. XIV, 22.* hoc tamen facto illud tantum efficitur, donum istud a Messia credentibus promissum non esse quendam humanæ mentis naturalem effectum, sed effectum supernaturalem, quæ si vel maxime externis istis & miraculosis signis sese haud manifestet, est tamen & manet divinum & supernaturale quiddam, in animum hominis, qui Christum vera fide recipit, cœlitus demissum. Quemadmodum enim Spiritus s. nec primis istis temporibus miraculosa sua dona omnibus credentibus æquali & eodem modo distribuebat, sed prouti divinæ id quidem placebat sapientiæ, manens interea idem ille & unus Spiritus sanctus *1 Corinth. XII, 4-11*; sic &, postquam desierunt per sapientiam divinam miraculosi effectus, est tamen eadem supernatura-

turalis effectio, quæ nunc quidem interiorem mentis humanæ statum emendat, & eos, qui ad Christum confugiunt, de amore Patris ac de recuperata salute certos hilaresque reddit, & hoc ipso viribus replet ad vivendam novam divinamque vitam: hæc enim omnia apostoli eidem Spiritui sancto tribuunt, qui primis temporibus per externa portenta sese manifestabat. *Galut.* III, 14. *Ephes.* I, 13. 14. *II Corinth.* I, 21. 22. *Rom.* V, 5. VIII, 5-17. Hunc igitur, abjecta vana virium virtutumque vestrarum fiducia, ad Christum confugientes, quærat oportet, si salvi esse cupitis.


P. P.


BUETZOVII, SUB SIGILLO ACAD.
IPSO PENTECOSTES SOLEMNI DIE
MDCCLXIX.



33
LBMV Schwerin
000 301 191







the scale towards document



num nostrum Dominum summum esse debeamus, si quidem vitam velle sanctissimoque Numini placere velle iuvat, totam vitam philosophando & virtutibus terere? quid profimo studio vitam nostram exteriorandam elegantiam excolimus? cum serio intra nosmet ipsos descendanimi referamus ad Deum, attendent spiritualemente legis suae sensum alto minus nosmet ipsos excutiendo,ervallo ab ista animi puritate & intentis, quam Deus probat & poscit. Hoc nemum nosse voluntatem Dei officiiere prodest. Tunc enim dejecti de ta persuasionem, qua nobismet ipsis posse quidquam vano animi tumorgiemus ad Christum, ut is gratia & ipsa re ista in nobis efficiat. Debel- & morte Christus, procurataque prium expiatione humani generis, as ex mortuis, ascendit in caelum estatis divinae consedit; misit super Spiritus sancti donum, quo divina infundebantur. *Joa. VII, 37-39. Luc. 1.5.8. II, 33.* Neque putandum est, primosque christianos magnificas e conferendo Spiritu sancto promissiones

c 3